

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 19: De laude divina (5)

Idem (Augustinus):

Quid retribuam nomini tuo, domine,
qui me ad ymaginem et similitudinem tuam creando
fecisti et fore susceptibilem tante glorie, ut possim filius dei fieri.
Hoc utique non possunt arbores, animalia cetera,
non possunt lapides, et generaliter omnia que moventur,
vel crescunt in aere vel in mari vel in terra,
quia non dedit eis potestatem verbum tuum filios dei fieri,
quia ratione carent.
Nam et hec potestas in ratione consistit,
per quam cognoscimus deum.

Laudem tribuam nomini tuo, Domine,
qui me ad imaginem et similitudinem tuam creando (*Gen. 1, 27*),
tantae gloriae fecisti me fore susceptibilem, ut possim filius Dei fieri.
Hoc utique non possunt arbores,
non possunt lapides, non generaliter omnia quae moventur,
vel crescunt in aere, vel in mari, vel in terra:
quia non dedit eis potestatem Verbum tuum filios Dei fieri,
quia rationem non habent;
nam et haec potestas in ratione consistit,
per quam cognoscimus Deum.

Pseudo-Augustinus, *Soliloquiorum animae ad Deum*, 8 (PL 40,
col.871).